Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ceciderunt. nec resuscitati sunt sed sepulti. et paulus dicit de quodam
peccatore quem tradidit satane in interitum carnis ut anima salua sit.
Filius hominis non uenit animas perdere sed saluare. Et uos ergo inquit cuius
spiritu signati estis. eius et acta sectamini. nunc pie consulentes sed insu
per iuste iudicantes.

Factum est autem ambulantibus illis in uia. dixit quidam ad illum. Sequar
te quocumque ieris. et cetera. Miranda simul et tremenda iusti dis
pensatio secreta iudicii. Samaritę dominum recipere petuntur. nolentesque
feriri prohibentur. iste sequi se spondet et remouetur. Alter primo pa
trem sepelire desiderat. et ad euangelizandum cogitur. alius dominum secuturus.
hoc ipsum domi renuntiare cupit nec permittitur. quidam christum non sequens
in christi nomine uirtutes operatur et non prohiberi iubetur. Sed in his singulis
illud nobis apostoli dicendum. O altitudo diuitiarum sapientię et scientię
dei. quam inconprehensibilia sunt iudicia eius et inuestigabiles uię eius.
Et cum samuele. homo uidet ea que parent dominus autem intuetur cor. Et ait illi
ihesus. Vulpes foueas habent. et uolucres celi nidos. filius autem hominis
non habet ubi caput reclinet. Ex diuinis uerbis ostenditur hunc qui obse
quium promittit. ob hoc repudiatum quod signorum uidens magnitudinem
sequi uoluerit saluatorem. ut lucra ex operum miraculis quereret. hoc
idem desiderans quod et simon magus a petro emere uoluerat. Talis ergo fides iuste
sententia domini condempnatur et dicitur ei. Quid me propter diuitias
et seculi lucra cupis sequi. cum tante sim paupertatis ut ne hospiciolum qui
dem habeam et non meo utar tecto. Aliter. Intelligitur miraculis domini commotus
propter inanem iactantiam eum sequi uoluisse quam significant aues. fin
xisse autem discipuli obsequium quę fictio uulpium nomine significata est.
Reclinatione uero capitis humilitatem suam significauit. que in illo simula
tore ac superbo non habebat locum. Ait autem ad alterum. Sequere me. Ille
autem dixit. Domine permitte me primum ire et sepelire patrem meum. Non discipu
latum respuit sed ut expleta primum paterni funeris pietate hunc adsequi
desiderat. dignus per omnia in quo filius hominis caput reclinet. hoc est
in cuius humili pectore diuinitas familiari quadam mansione quiescat.
Dixitque ei ihesus. Sine ut mortui sepeliant mortuos suos. tu autem uade
adnuntia regnum dei. Notandum in hac sententia quia aliquando in acti
onibus nostris minora bona pretermittenda sunt pro utilitate maiorum.
Nam quis ignoret esse boni operis meritum mortuum sepelire. et tamen ei qui
ad sepeliendum patrem se dimitti poposcerat dictum est sine ut mortui sepe
liant mortuos suos. tu autem uade adnuntia regnum dei. Post ponendum
namque erat obsequium huius ministerii officio predicationis. quod illo in